



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1709. usque ad annum 1714

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1782

VD18 90119266

§. 2. Papæ Nepos unacum Nuntio Apostolico Viennam decretus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67615)

Sæc. XVIII. litica ageretur in eos, qui ab alterius
A. C. 1709 arbitrio dissentiunt, ejusmodi etiam
 usum aut inutilem, aut majoris mali
 occasionem fuisse, ex Hispanæ gentis
 Annalibus comprobari, populosque tum
 primum, si affectu, liberaque fide per-
 trahi nequeunt, armorum vi, non au-
 tem minis Ecclesiasticis cogendos esse,
 ostendit.

§. II.

*Papæ Nepos unacum Nuntio Aposto-
 lico Viennam decretus.*

*Orat. Con-
 sist. Clem.
 XI. p. 38.*

Postquam summus Pontifex noctu die
 decima quinta Januarii in itæ pacis
 articulos suo consensu firmaverat, Mo-
 linesius Rotæ Romanæ Decanus Hispani
 Regis, & Polignacus Abbas Franciæ
 Regis nomine palam reclamabant,
 suamque oppositionem Cardinalium
 præcipuis, necnon Ottobono Pro-Can-
 cellario, & Curiæ, fiscique Romani
 Præsidi insinuarunt. Nihilominus Pon-
 tifex die vigesima secunda Julii convo-
 cato Purpuratorum Senatu declaravit,
 se decrevisse, Annibalem Albanum Ne-
 potem suum, ac Cameræ Apostolicæ
 Præsidem Viennam ad Cæsarem alios-
 que Reges & Principes ablegare, ut in
 Pacis negotiationibus inter eos prope-
 diem ineundis Apostolicæ Sedis digni-
 tatem & orthodoxæ fidei rationes pro
 viribus

viribus tueretur. Enimvero Josephus Sæc. XVIII.
 Imperator non modo firmatæ pacifi- A. C. 1709.
 cationis articulos die decima sexta Fe-
 bruarii Romam transmisit, sed & An-
 nibalem Albanum, necnon Julium Pia-
 zam Sedis Apostolicæ Nuntium sum-
 mis honorum significationibus excepit:
 vicissim vero Pontifex die decima quarta
 Octobris in secreto, ut ajunt, Consi-
 storio declaravit, quod Carolum Au-
 striæ Archiducem hujus nominis Ter-
 tium Catholici & Hispani Regis titulo
 honorare, eique ditiones, quas tenet, seu
 forsitan ipsum de cetero tenere contigerit,
 & jurium illi annexorum usum minime im-
 posterum denegare constituerit, quin ta-
 men hac declaratione Philippi V. pari-
 ter Catholici & Hispaniæ Regis juribus
 derogare intenderet: *Ut vero*, inquie-
 bat Pontifex, *hæc omnia rite ac recte &*
sine alterius cujuscunque injuria aut præju-
dicio a Nobis peragi notum sit, scire Vos
volumus, Nos hac in re normam omnino
sequi Constitutionis Clementis V. qua cau-
tum, quod si quem summus Pontifex sub
titulo cujuslibet dignitatis nominet seu
honoret, per hoc in dignitate illa ipsum ap-
probare non intelligatur, aut quicquam ei
tribuere novi juris. Hanc Constitutionem
quam non absimilium contentionum occasione
etiam Pius II. Joannes XXII. & Six-
tus IV. approbarunt, Nos similiter appro-
bamus.

Sæc XVIII. *bamus.* Hac cautela Pontifex aut se
A. C. 1709. metu adactum universo orbi testatum
reddere, aut injustitiæ suspicionem a
se amoliri, intendisse videtur; jamjam
enim tum Roma inveteratum errorem
primis Ecclesiæ sæculis aut adoptatum
aut toleratum abjicere cæperat, per-
inde acsi de Principum coronis, Re-
gnis & temporalibus bonis pro arbitrio
suo disponendi jus, Pontificibus com-
peteret: quapropter Cardinales Domui
Austriacæ addicti, ut Pontificis decla-
rationem Prædecessorum exemplis vin-
dicarent, sedulo investigarunt in eos
Pontifices, qui urgente temporum ne-
cessitate duos simul Principes in ejus-
dem Regni Rectores agnovere, hanc-
que in rem Clementis V. in Sæculo XIV.
& Alexandri VI. in Sæculo XV. exem-
pla allegarunt. Verum Pontifex Ale-
xandri VI. exemplum adducere, suæ
dignitati, probitatique minus conso-
num fore arbitrabatur, ad Carolum ta-
men Regem literas, in quibus eidem
Regis titulum attribuit, Barcinonem
transmisit, simulque Solonensem Epi-
scopum, quem idem Carolus nomina-
verat, die decima Octobris in publico
Patrum Senatu confirmavit. Denique
die decima quarta Septembris ad Jo-
sephum Imperatorem literas dedit, ex-
positisque periculis, atque ærumnis,
quibus

quibus se ob favorem Carolo impensum objecisset, Comaclensem urbem restitui petiit, eoquod nequidem interpellatus, & sine belli denuntiatione ea pacifice possessa spoliatus fuisset, non sine magno periculo, ne hæretici cognoscentes, Cæsarem cum Papa collidi, inde fidem Catholicam deprimendi ansam fumerent.

Sæc. XVIII.
A. C. 1709.

§. III.

Expostulatio Pontificis cum Hispaniæ Præsulibus ob Philippi Regis mandatum effectui datum.

Quamvis Pontifex, ut Philippum V. Hispaniæ Regem placaret, Ottonium Cardinalem Gallici Regni Protectorem in Cancellarii Apostolici munere confirmasset, ac militibus nuper exauctoratis, ut Hispani Regis signa sequi possent, permetteret, adeo tamen ejusdem Principis indignatio non deferbuit, ut novo mandato ad omnes Hispaniæ Præsules transmissio, etsi se spiritualem auctoritatem, usumque supremæ jurisdictionis Ecclesiasticæ nullatenus impediturum profiteretur, sanctiora quædam ad spiritualem potestatem pertinentia per suos Ministros attrectari, ac inspicere præciperet, & Apostolicarum literarum executioni

Kettler Dec. V. p. 592. tom. 3. Epist. Clem. XI. p. 564.